



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

Caput VI. Imitatio Christi spinis coronati, & saturati opprobrijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

CAPUT VI.

Imitatio Christi spinis coronati, & saturati opprobrijs.

§. I.

Mysterij propositi contemplatio.

**A** Desdum fidelis anima, & vide, amabo, visionem hanc magnam, DEUM in rubo, sed jam non innocente; Sponsum, inquam, tuum in die Desponsationis suæ, confertis vepribus coronatum atque confixum. Ut & te spinæ dilecti, primùm compungant ad pias amoris dolorisq; lacrymas, ac deinde etiam exstimulent ad imitationem.

Primò igitur contemplare otiosè istius facti diritatem atque immanitatem. Christus DEI Filius & Rex gloriæ, spinoso serpo per ludibrium coronatur. Tormentum ingens, vel si abesset contumelia: grande supplicium, etiam deducta crudelitate. Nunc, quando hæc illi arctè conferta & implexa est; altera alterius exacerbatur contagio, & uno nomine supplicij, injuria multiplex, & non una pœna involvitur. Res, inquam, ad dedecus fœda, ad dolorem acerba; utroque insolens, atrox, indigna.

Tertullianus ista ponderans: *Certè, inquit, præter figuram* (hoc est, præter mysticam istius coronæ significationem) *contumelia in promptu est, & turpitude, & dedecoratio, & his implexa sevitia, quæ tunc Domini tempora & sedaverunt, & lancinaverunt.* Quibus ille quidem in eo Dominico supplicio contumeliam præsertim attendit; quanquam & advertit eidem implexam sevitiam; iisq; proinde & fœdata Domini tempora & lancinata, quorū hoc ad dolorem pertinet, istud ad dedecorationem. In quem etiam sensum alibi dixit: *fœdis vestitur, fœdioribus coronatur.*

De Pat. c. 3.

Secun-



*Secundò*: Perpetuum hoc fuit in Redemptoris nostri tormentis, ut cruciatus implicaretur ignominia; quò ejus dolorum acerbitate extingueretur in nobis voluptatum infana cupiditas, & opprobriorum granditate superbia nostra opprimeretur.

*Maldo. 26.*  
*Matth.*

Percurte animo genera omnia Dominorum suppliciorum. flagellis cæditur; servilis poena est. spinis coronatur; tragicum est & crudele ludibrium. Despuitur, depalmatur, pugnis (fortassis & crepidis, ut ex voce græca apud Matthæum nonnulli conjecant) pulsatur: extremum est oris ingenui, & generosi hominis dehonestamentum. Postremò in crucem agitur: dirus nomine ipso cruciatus est, sed cruciatus major foeditas & dedecoratio. Nec ipsa per se contumelia sufficit crucis: medius latro cum figitur, ad principalem ignominiam; & regij tituli præconio, supplicij probrum intenditur. Quid, quod jam pendenti vulnerantur aures odiosissimis convitijs; &, quod insolens est, & præter usum sensumq; communem humanitatis (quo, quantumvis reum, in atroci positum supplicio tamen commiserescimus) fato illudatur & insultatur innocentis. Sed nimirum adeò inveterato & altè insito naturæ corruptæ vitio, potens opus erat, & acre ac forte remedium: ut tot tamq; horrendis divinæ humilitatis exemplis, erubescat denique castigeturq; humana superbia; & dum percussum atque humiliatum aspiciens, *non apponat ultra magnificare se homo super terram*: aut (ut eandem rem ipsis Beatae Angelæ verbis exprimam) *ut perfectissima & fidelissima & usitata humilitas istius altissima Majestatis, deprimat & confundat superbiam nostræ nibilitatis.*

*Psal. 9.*  
*Vit. c. 59.*

*Terriò*: Jam reliquas hujus tragici ludi circumstantiæ perpende. Vix enim ab illa flagrorum grandine, & crudelissimâ artuum suorum laceratione sese collegerat mitis Redemptor, vix brevem spiritum & virium aliquid resumpserat; cùm ecce in novam scenam trahitur, doloris ac dedecoris

coru



coris plenissimam, factus insolentiae militaris, & ingeniosae in insontis poenas crudelitatis, ludibrium. Caput illi fortassis à flagris intactum remanserat: huic ergo ne sua desint vulnera, saevissimo invento, è rhamno sertum adornatur, & per capitis cutem atque membranas altè violentèr; adigitur. Consequenter huic primo actui & caetera fabula pertextitur. Ludicro regi injicitur in humeros chlamydis coccineae dedecus; & cannæ frustum in manus inditur: quo subinde resumpto feri milites pulsant obseptum spinis verticem, sive illudentes venerando illi capiti, sive spinas altiùs ad acriorem sensum imprimentes. Adduntur his insana opprobria, joci petulantes atq; amari; & injurià simplici malù foedius, fictæ & ad risum compositæ salutationes.

Accessit & istud non leve doloris corollarium; quòd (ut est quorundam verisimilis opinio) spinosum hoc sertum non semel duntaxat Dominico capiti fuerit impositum, sed nescio qua ex causa detractum, eidem rursus impressum sit, non sine ingenti, ob renovatas antiquas plagas, recentèsq; inflictas, in amabilem ejus vultum effusione sanguinis, & amplificatione saevissimi doloris. Id enim sibi à B. Virgine revelatum fuisse testatur S. Birgitta; coronam videlicet, dum crucifigeretur, Christo detractam, rursus fuisse in cruce divino ejus capiti aptatam: & lego similia apud Clementem Alexandrinum, eandem Christo in altum sublato, in cruce nimirum, fuisse impositam; quod cum de prima impositione non possit intelligi (nimis manifestè repugnante textu Evangelico) necesse erit accipere de altera quadam ejusdem coronæ impressione.

*L. 1. c. 10. L.*

*7. c. 15.*

*L. 2. P. 2. c. 3.*

*c. 3.*

Christum coronam in cruce gestasse, docent Patres varij: nec tamen opiner, dum exijt crucem sibi bajulans, eâ caruisse. Nimirum debuit mundi victima ex ritu veteri coronata duci ad Sacrificium: quo etiam factum sit; ut præter insigniorem contumeliam, crebro ligni crucis ad spi-



spinas allisu atque incussu, mirum in modum ea vulnera amplificarentur & exacerbarentur. Sanè, ut solemnem Gentilium ritum omittam, etiam agnum paschalem (qui proprius Christi in cruce immolandi typus erat) festa fronte revinctum ac coronatum duci solitum ad victimam, tra-

In Psal. 117.  
v. 27.  
cap. 13.

dit inter alios Joannes Lorinus noster. Tandem Tertullianus adversus Judæos: *Christus (inquit) suis temporibus lignum humeris suis portavit, inherens cornibus crucis, coronâ spinâ in capite ejus circumdatâ.*

Profecò, benignissime JESU, maledicta terra carnis nostræ, non rosas aut violas quibus coronaretis, sed spinas & tribulos germinavit tibi. Superbia mea istos tibi vepres conferuit in coronam; vanitas mea istam dexteræ tuæ inseruit arundinem, eadèmq; tuo divino capiti illust: fastus denique meus ac jactantia, istâ te purpurâ ad ruborem detonestavit. Postremò igitur hic attendat asceta, qui nunc verè paulò antè dixerit Salvator: regnum suum non esse de hoc mundo. Illum quippe mundus, velut in fabula, spinis coronat, insignit arundine, ludicrâ purpurâ, seu ipso potius ingestâ ignominie rubore, convestit; & ut de alapis sputisque taceam, fictâ salutatione & probrosis honoribus illudit: at illum mox cælum, honore coronabit & gloriâ, & divino cinctum diademate, immortalisq; potentia pollentem, Regem sæculorum, & mundi Judicem demonstrabit. Ut vel hinc discamus, fallaci mundi gloriæ non credere, sed ad immarcescibilis Paradisi coronas aspirare.

Cæterùm hæc Domini mei, meâ causâ suscepta dedecoratio, amabiliorem eum mihi facit & chariorem: quippe (ut ait S. Bernardus) *quantò pro me vilior, tantò mihi charior est;* eadè nimirum opprobriorum suorum foeditate, simul humilitatem mihi commendans, simul amorem meum sibi concilians, aut (ut S. Augustinus loquitur) *sanans in morem, & nutriens amorem.* Itaque hunc diem, quo in-

Serm. 4. de  
Epiiph.

L. 7. Conf.  
c. 18.

hunc



hunc modum charitatis coronâ, & sanguinis sui purpurâ, tanquam veste nuptiali subornatus est, diem suæ desponsationis appellavit. Quò spectant B. Theodoretus verba, in illud Cant: 3. *Egredimini filia Sion, &c.* ita scribentis: *Spinis illum contemptus causâ coronavit*, scilicet Judæa aut Synagoga: ipse verò per spinas suscepit diadema charitatis. Sponte enim ignominiam perculit, atq; ultro ad mortem cessit. Quamobrem desponsationis diem illam vocavit, & diem lætitiæ cordis ejus. Hæc Theodoretus.

§. 2.

*Primitivæ Ecclesiæ fideles à capitis coronis religiose abstinuisse.*

PRisci Christiani, jam ab ipsis Ecclesiæ principiis, florèâ frondeâve coronâ caputnectere, religioni habuere. Id enim tum ex Minutio Felice constat Scriptore perantiquo, dum Cæcilium quendam inducit, Christianis, inter cætera, in quibus ab usu sensûq; communi odiosè recederent, id etiam objectantem: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis*: tum maximè ex Tertulliano, in libro de corona militis ex ea occasione scripto; quòd, cum milites, festo solemnè Imperatorum, laureati omnes ad donativum ex eorundem liberalitate recipiendum procederent, quidam illorum, quòd Christianus esset, non processisset coronatus ut cæteri, sed manu duntaxat lauream gestans, aut (veluti loquitur Tertullianus) *coronamento in manu osioso*. Cujus liberum & audax factum nonnullis exinde improbantibus, quòd intemptivâ religione Christianam pacem in novum discrimen adducere visus esset; ipse eâ præsertim ratione defendit, quòd fidelem coronari non permitteret recepta traditio, & vulgata Christianorum disciplina. Hujus autem (ut ipse appellat) observationis inveteratæ, de coron. cum alias plures rationes adferat, ad extremum illam sub-  
milit. 2. & 3.

N n n n ijcit,



ijicit, de qua nunc agimus, exemplum videlicet Christi, gignoso sermo ad ludibrium atque tormentum coronati. Eius verba sunt ista cap: 14. *Quale, oro te, sertum Christus JESU subijt? Ex spinis, opinor, eribulis, in figuram delictorum, qua nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis, amens aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens. Et postea: Si ob hac caput tuum illi debes, tale si potes ei responde, quale suum pro tuo obtulit; aut nec floribus coroneris, si spiritum non potes; quia non floribus potes.* Clemens etiam Alexandrinus, æqualis eorundem temporum lib: 2. Pædagogi Christianos mores instruens, negat Christianum floribus coronari debere: alienum quippe à ratione esse, ut qui auctorimus Dominum spinis coronatum fuisse, ipsi venerabili passioni per ludum insultantes, habeamus capita redimenda floribus. Et quanquam non ea (saltem universim) fruisse videatur veterum Christianorum religio, ut florata usum ab sese in totum abdicarent: his enim (teste Minutio) *et sparsis utebantur mollibus ac solutis, et sertis colla circumpletebantur; & coronas solum arcebat à capite, reverentia Dominicæ Passionis: tamen & Clemens Alexandrinus loquenter pronunciat: Qui præter aspectum, usus eorum percipitur, (florum scilicet, petulantia est; & si aliquid plus concedendum videatur, ad extremum atque ægrè tandem, eorum insuper odorationem Christiano permittit: & Tertullianus, qui quâdam veluti indulgentiâ, concedit potius terrenos flores in sinum eondi, in lectulum spargi, aut in alios innocentes usus, quàm ad nexum capitis, adhiberi; idcirco tamen postea satis ostendit, de ejusmodi deliciarum universo genere quid sentiat, dum Christianum suaviter hortatur, ut cum Christum habeat florem celestem, incorruptum, æternum, floribus interim morituris absteineat. Illius verba mox subijciam.*

cap: 8.

cap: 5.



## §. 3.

*Christi spinis docemur, Crucifixi discipulo mundi delicias  
minimè esse consecrandas.*

**H**Æc igitur eò maximè spectant, ut intelligatur; Christi-  
ano homini, qui Domino crucifixo vepribusq; corona-  
to gloriatur, omnes sæculi delicias respiciendas & abdican-  
das esse: & qui secus faciat, eum Domino suo spinis coro-  
nato quodammodo insultare, ejusq; corpus velut monstro-  
sum efficere, si artus habeat ipsi capiti dissentaneos, seu

(quod ait S. Bernardus) *sub spinato capite membra delicata.* serm. 5. de  
Omnibus SS.

Suprà laudatus Tertullianus, Christianum adhortans,  
ad fugientia mundi gaudia, fluxasq; voluptates aspernan-  
das: *Nihil tibi, inquit, cum gaudijs sæculi; imò contrarium de-  
bes. Sæculum enim gaudebit, vos vero contristabimini. Et puto  
tibi cum flore morituro? Habes florem ex virga Jesse, super  
quem tota divini Spiritus gratia requiescit; florem incorru-  
ptum, immarcescibilem, sempiternum.*

Et sanè si ex Apostoli Petri verbo, merces nobis in  
cælis reposita, est corona gloriæ; & ipse D E U S est illa mer-  
ces nostra magna nimis: igitur & ipse D E U S erit corona  
nostra. Sicut scriptum est: *in illa die erit Dominus exercituum  
corona gloria, & sertum exultationis residuo populi sui. Quam-  
obrem convenit professum crucis militiam, eo in genere  
diaboli milite non minùs esse solertem. Si enim, ut de mi-  
lite Mithræ (quo nomine Apollo aut Sol apud Persas appel-  
latur) tradit citatus autor libro de corona extremo: dum  
iniatur, coronam capiti suo accommodatam monetur obviâ  
manu à capite depellere, & in humerum si fortè transferre,  
dicens: Mithram esse coronam suam; atque exinde nunquam  
coronatur: quid ultrà sæculi delicias, & tanquam flosculos  
captamus, qui coronam capitis nostri JESUM crucifixum ha-  
bemus?*

N n n n z

Neq;



Neque enim aliter Jēsus Nazareus pijs animabus spectandus est, quàm ut flos pulcherrimus & suavissimus, et arido in speciem, atque ex succo crucis suæ caule ac stipite progerminans: neque jam crux ipsa, ut patibulum infame, aut lignum asperum atque horridum aspicienda; verum ut frondens Aaronis virga, ex qua ille prodeat atque pullulet.

*Cant. 2.* qui de se dicit: *Ego flos campi & liliū convallium.* Sed & jam liliū inter spinas; quod undique nimirum aspicimus, sive criminum nostrorum aculeis, sive acerbissimorum dolorum spinis cinctum atq; vallatum! Ut vel hinc discas, ô anima, spinas, hoc est mundi adversa & aspera amare, quando inter hæc præsertim invenitur Jēsus Nazareus.

*Sap. 2.* Reproborum vox est in libro Sapientiæ: *Coronemur nos rosis antequam marcescant: non prætereat nos flos temporis, &c.* E contra Sanctorum & Christo dilectorum vox est, vox S. Catharinæ Senensis, S. Elisabethæ Hungaricæ, B. Lydvinae, cæterorumq; electorum vox est: *Coronemur nos spinis, quàm diu hæc mortalis vita est, rosas servemus coronis æternis.* Aut si floribus sanè ita capimur, coronemur nos rosis, quæ nunquam marcescunt: ne si mundi hujus rosas amemus, ipso brevè defluente flore, solæ spinæ superent, quibus pungamur & fauciemur. Sed & quando Clementem Alexandrinum de spinea Christi corona ita lo-

*loco cit.* quentem attendimus: *Hæc corona flos est eorum, qui crediderunt in eum: rosæ nostræ sint dilecti nostri spinæ, afflictiones, sudores, lacrymæ: his carpendis jucundè immoremur, ex his delicatas & suaves animæ amanti corollas, ex his sanctarum deliciarum, texamus.*

*P. 2. c. 7.* Et rectè id quidem. Nam si B. Lydvina, quas ei nativo deficiente humore, amoris vis aut compunctio cordis ex oculis exprimebat sanguineas lacrymas, eas venustè rosas suas appellitabat: multò æquiùs pro rosis habeant animæ Christo devotæ, sive cruenti sudoris guttas, quibus gratia



mina erubescere Gethsemani, sive spinarum aculeis expressum rorem sanguineum, Dominicum verticem purpureis notis obfignatam. Ita enim piissimus Thaulerus sanctam alloquens ac DEI amantem animam: *Et tu (inquit) sancta ac DEI amans anima: vide ut sponsus tuus, in die desponsationis sue viridem ferat coronam, rubentibus ornatam rosis, id est, roseo suo tinctam sanguine: hoc ipso significans, pium se esse ac mansuetum regem, verumq; principem amoris.*

*Explic. pass. c. 10.*

Atque hic denique memoratu digna est, dulcis atque amena Redemptoris nostri ad sibi dilectam B. Joannam à Cruce, allusio. Hæc enim die quodam Parasceves, divinorum stigmatum certis vestigijs, quæ quaque deinceps feriâ sextâ & Sabbato, in modum notarum purpurearum in ejus manibus atque pedibus comparerent, à Sponso suo donata; cùm ijs carere visibilibus divini favoris indicijs studio humilitatis expeteret, ita Christum audiit sibi dicentem: *E-*  
*quidem importuniùs urges, ut tibi concessum charitatis meæ pretiosum pignus subtraham. fiet id equidem: sed quia non vis rosas meas, concedam tibi spinas meas. Ex-*  
*inde igitur aspectabiles illæ divinorum stigmatum notæ videri desinere: sed earum vice occupavit virginis animum, corpusq; universum ea doloris vis, adeoq; efficax cruciatuum Christi consensus, ut ei deinceps vita reliqua crudele martyrium, & viva esset Dominicæ mortis ac passionis imitatio. Ad eodè huic quoque, pro rosis, & præ rosis erant spinæ dilecti sui.*

*L. 2. Vit. e. 16.*

§. 4.

*Nonnulla ad usus peculiare ex his deducta.*

**E**X his quæ hæcenus à nobis universè disputata sunt, pauca hæc summatim deduci possunt, & ad usum tradi mortuæ. *Primum:* ut cùm te noxia voluptas, aut fluxatum deliciarum cupiditas incesserit, confestim oculis aut animo



animo in Crucifixum intento, respicias in faciem Christi tui, & ferti spinei, quo redimitus est contemplatione, erubescas sectari mollia, & in vitæ cultusq; ratione esse membrum adeò abhorrens à capite tuo.

cap: 35.

S. Bernardus tractatu de passione: cùm Christum flagellis cæsum, consputum, colaphis percussum, spinisque coronatum posuisset ob oculos: *Talem inspice JESUM*, inquit. *Quis hic locus deliciarum?*

Neque verò cùm Christum spinis coronatum imitandum tibi propono, id à te exigo, ut coronam de spinis ac vepribus confertam gestes in capite (quod quidem nonnulli audaci factò, sed ardenti Christum imitandi studio, fecerunt) sed illud duntaxat, quod cum Tertulliano dicebamus, *ut nec floribus coroneris, si spinis non potes*; hoc est, ut crucifixum Domini tui contemplatione, à noxijs saltè voluptatibus, & erubescendis homini Christiano delicijs abstinens, si eum nequeas severiore vitæ disciplina, aut ulro sumptibus de te supplicijs imitari.

*Alterum*: Ut ad idem exemplar respiciens, ac se componens, id speciatim sibi cavendum putet matrona aut Virgo Christiana, ut ne immodico & inverecondo præsertim capitis sui cultu, videatur Christi doloribus ac spinis velle illudere, & tanquam si ei non ista sufficiant, quæ olim à militibus passus est, vanitate ac levitate suâ (ne lascivâ dicam) venerandum illius verticem velut arundine pulsare, & super dolorem vulnerum ejus addere.

Quid enim aliud sunt torti illi crines & calamistro crispati, quos jam olim à fæmina Christiana proscribere (multò autem magis à viro proscriberent, si is tum abusus in Christianorum mores irrepsisset) in suis epistolis SS. Apostoli Petrus & Paulus? Quid pulvis Cyprius, etiam virorum capitibus per ridiculam vanitatem inspersus? Quid illa pigmenta, unguenta, fuci, & illud etiam prisce luxuriei instru-

1. Petr. 3.

1. Tim. 2.



instrumento ignotum nomen, fronti aut genis (ut nunc appellanti) affixæ mulcæ, & tot alia formæ naturalis adulteria? Quid universus ille pudendi luxus ac luxuriæ administer apparatus, & rerum numero ac varietate, verè mundus muliebri? Quid, inquam, ista sunt, nisi totidem Christi crucifixi & spinis coronati opprobria? Heu! quàm dissimiles, cultus tuus & cultus illius: cujus utique calamistrum & acus, spinæ sunt, cujus stibium & purpurissum, sputa sunt concreto mixta sanguine; cujus gemmæ atque uniones, cruentæ guttæ sunt, de oompuncto capite stillantes; cujus denique ornatus omnis, purpura est cruoris sui, de toto corpore tot vijs ac modis expressi. *Talem, inquam rursus, inspicite JESUM. Quis hic locus deliciarum?*

Hæc contemplatione S. Elisabetha Hungariæ Regis filia, cum aliquando, die solenni, pro ratione personæ suæ, cultu splendido ac magnifico in templum processisset; ad Christi inquam in cruce pendentis, ejusq; nudi ac spinis coronati intuitum, cum cultum sui corporis cum ejus nuditate, aureum capitis sui ornatum cum ejus spinis componeret, ita animo percussa & consternata est, ut defecta viribus, similis exanimi concideret, & exinde à se omnem ornatum ejusmodi, quoad fas fuit, averteret, solo cultu simplici ac necessario contenta. L. 2. Vit. c. 3.

Quod si in fæmina Christiana qualibet, ea cultus corporis moderatio ita commendatur, & exigitur: quantum ei dicemus magis esse necessariam, quæ etiam peculiari nomine Christo se dicatam profiteatur? De qua proinde loquens S. Ambrosius: *Succingat, ait, sacra Virginis crinem, De instit. (instar vitæ mimum aut fasciæ) modestia, sobrietas, continentia: ut virtutum accincta comitatu, purpureo Domini sanguinis velamine, mortificationem Domini JESU in sua carne circumferat; eodemq; cum sponso suo gaudeat ornatu.* Virg: c. 17.

*Postremum:* Ut inter acerbitates atque adversa mortalis



Serm. de  
pass. & cru-  
ce.

talibus vitæ, inter corporis dolores, angores animi, contemp-  
tus atque opprobria, solentur te spinæ Domini tui. Qui  
etiam idcirco (ex mente B. Chrysofomi) coronam spinæ  
gestare voluit, ut sollicitudines, curas & angores vitæ nostræ  
extirparet, & in securitatem converteret. Ipse enim, inquit,  
in doloribus & curis fuit, ut nos doloribus careremus.

Et sanè quantulum est, omne quod in vita patimur,  
collatum cum supplicijs Salvatoris? Ingens iste capitis, aut  
aliorum artuum acutus dolor, ærumnæ istæ calamitatæsq;  
(ut tu quidem appellas) intolerabiles, spinula solum sunt,  
ad illum aculeorum exercitum, qui denso agmine sacrum  
Domini tui caput impetièrè & oppressèrè. Ut enim ait.

In ps. 36. p. 2. S. Augustinus: *Quantumcunque patiaris, non pervenies ad  
illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam ce-  
stem, ad illam spinæ coronam, ad illam postremò crucem non  
pervenies.*

Quem etiam in morem, dum ab æmulis suis  
premeretur S. Gregorius Nazianzenus, consolabatur æru-  
mnas suas: *Quota, inquit, hæc sunt pars injuriarum, dum  
conspueretur & caderetur? Omnia non uni conferenda coronæ  
spinæ duco; per quam me quoque vitæ asperitate coronari  
animadverto. Sic ille. Qui etiam dicens, se vitæ asperitate  
coronari; vel eò id facit, quò injuriarum malorumq; su-  
rum vim ac multitudinem significet; quibus undique obli-  
ptus, & in modum coronæ cinctus sit; secundùm illud Iste  
22. cap. Coronans coronabis te tribulatione; vel (ut ejus ver-  
ba magis indicant) quòd ærumnas suas, ut coronæ spinæ  
partem aliquam ac repræsentationem aspiciat, vel detum  
quòd eas coronæ loco, aut instar præclari diadematis ha-  
beat, in gloria ducens affligi, contemni, illudi, & Domino  
suo spinis confixo & opprobriis saturato, conformari. Re-  
vera enim (quidquid perversè mundus sentiat) gloriosa sunt  
& expetenda Christiano, Ducis sui exemplo suscepta & te-  
lerata opprobria: quorum utique patientiâ & ipsi Christo  
effici-*



efficiatur similior, & eum ornet atque coronet, atque ita  
compenset atque suppleat quodammodo, eidem velut ludi-  
cro regi olim illatas contumelias, dum pro ejus gloria qua-  
cunque adversa hilarè sustinens, eum agnoscat profiteturq;  
regem gloriæ, & regem ac Dominum cordis sui.

§. 5.

*Christum IESUM pro corona spineâ, gloriâ & honore  
pro nobis coronandum esse.*

**A**d extremum: & illud enitere (quod quidem jam dictis  
affine est) ut pro sero doloris & opprobrij, quo pro te  
cinctus est Redemptor tuus, eum tu pro tuo modulo, glo-  
ria & honore corones. Equidem cujusque virtutis gratia  
in nobis efflorescens, corona est, quâ ipsi coronemur &  
Christus. S. Ambrosius: *Joseph (inquit) coronam habuit* In psal. 118.  
*castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum* serm. 14.  
*coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, quâ eum  
Ecclesia coronavit.*

Sed amat præsertim coronari ijs corollis, quæ de no-  
stris doloribus, vexationibus, opprobrijs contexantur,  
ipsius amore promptè libentèq; toleratis: quæ licet per-  
fese considerata spinæ sint; ut quæ suis nos aculeis acriter  
pungant atque vulnerent; ut tamen effectus sunt & argu-  
menta amoris nostri, rosæ sunt, quibus ille coronetur. Ita  
se visendum aliquando præbuit S. Mechtildi, ornatum co- L. 1. c. 24.  
ronâ variorum florum, quos sese collegisse diceret ex varijs  
doloribus, quos ipsa in capite pertulisset. Atque uti aliàs  
ex Henrici Sufonis vita retulimus, sub pueri specie idem  
Salvator cum roseto insidens visus esset amœno, & amplâ  
rosarum messe conspiciendo (quibus diversas Beati Viri ve-  
xationes adumbrari dicebamus) rosis, de eodem utique ro-  
fario decerptis, coronatus apparuit: ut vel sic testatum fa-  
ceret, quàm eum delectet nostra patientia, fortitudo ani-

O o o o mi,



mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro eius honore, toleramus.

Igitur quicumque te dolor aut molestia, quæcunque ærumna afflictione exercuerit; offer illa Christo veluti flores suavissimos; & ex omnibus ei sertum confice, quo ille, jucundissimè coronetur. Qui flores si nondum apparuerint in terra tua, est unde incuses sterilitatem amoris tui; ut qui non nisi spinas & tribulos, tot adhuc noxarum in diti germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullas proferas, quorum amœnitate ac fragrantia dilectus tuus præsertim capiatur.

## CAPVT VII.

*Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem Calvarie contendens.*

§. I.

*De ipso mysterio nonnulla.*

**A** Des hinc rursus Regis dolorum amatrix anima, ac mortis oculis ac corde dolore faucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increpant cruciatus & opprobria dilecti tui. Ut enim hinc cum Propheta exclamem: *Quæ audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israël?*

Huc igitur indignitatis deventum est! Dei filio, hoc est, ipsi virtuti atque innocentie, per summam injuriam sacrilegâmq; sententiam crux decernitur; nec decernitur modò, sed viarum labore, inedia, vigiliâ fatigato, flagello attrito, & tantum non confecto vulneribus, immisericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad supplicij locum, non jam ducitur, sed raptatur. Ergo qui, rele